

nes omnium gentium errores recipiebat; at placuit Deo tandem hanc nubem malorum gratiae suae solae repellere: occisus Pompeius, qui prius quingentarum navium classi praefuerat, qui per triumphum duxerat, qui in aerarium plura centena talentorum millia intulerat: erat et eodem die iudicio interfectus Iulius primus Caesar, qui fastuosos Senatus Romani Imperium contempserat, et Pompeio debellato scripserat: Veni, vidi, vici. Itaque post tot incommoda, tantisque ruinas hoc beneficium Augusto Caesaris reservatum est, ut pacem rebus omnibus compositis restitueret, Templum Iani clauderet in signum solidae pacis, et pene universi orbis Monarcha feret: atque illo imperante, Christus nasceretur, qui pacem illam stabiliret. Unde quemadmodum, aquila demittente, reliquae aves quiescunt, alisque devotissime, ita advento coelesti illa aquila. Redemptore nostro, omnes terrae principes quiescerunt, et uniusquisque, ut olim aetate Salomonis, pacifice sub sua fien vivebat, ut ad litteram impleverit illud (Isa. 2) dicentis: *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercitabuntur ultra ad praelium.* Hoc genus pacis tanti habebatur apud antiquos, ut ad significandam illam deingerent virginem quandam, manu cornucopiae tenentem: in cornucopia vero antiqui omnem abundantiam significabant. Hinc etiam Iulius Caesar in moneta Imperii sui caduceum cum cornucopiae insculpi fecit: per caduceum olim pacem, et concordantiam significabant veteres, et per cornucopiae, ut diximus, rerum abundantiam; et eadem ratione Vespasianus imperator in moneta sui temporis signari voluit duas manus inter se unitas, et cohaerentes, a quibus manipulus spicarum procedebat: per manus coniunctas concordiam, per manipulum abundantiam significare volens.

Denique sicut discordia, et bellum omnium malorum origo sunt, scilicet bonorum direptionis, et patriae amissionis, et captivitalis, et mortis: sic e converso pax origo est, et aggregatio omnium bonorum. Non lamem coelestis Halcyon tranquillitatem et pacem temporalem, sed praecipue spirituales induxit in terram, ut ipse per Aggaeum prophetam praedixerat: *Implebo domum istam gloria, et in loco isto dabo pacem:* erat enim tunc templum aeternae pacis, hoc est, coelestis paradisi, clausus, et ab eius ingressu exclusum genus humanum, quod praefiguraverat Dominus, quando eiecit Adamo, et Eva e paradiso terrestri collocavit cherubin, et gladium versatilem ad custodiendam viam ligni vitae; adventante autem Christo Domino, facta est tranquillitas, et pax inter Deum, et hominem, et fores coelestis paradisi iam patent, Apostolo dicente (ad Rom. 5): *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo: et (ad Ephes. 2): Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.*

Est etiam et alia pax, cuius haec pax cum Deo origo esse perhibetur, nimirum, cum sibi ipsi homo pacatus est, qui a seipso antea acerrime dissidabat, dum aliud spiritus, aliud caro flagitabat, iuxta illud d. Pauli (Galat. 5): *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus*

adversus carnem. Haec etiam pax, nascente hoc divino halcylene, nobis donata est, ut his verbis adnotavit d. Hieronymus (in cap. 2. Isaiae): *nam exponens locum illum: Confolant gladios in vomeres, et lanceas suas in falcas, ait: Hoc quidem spiritualiter intelligi potest, quando omnis duritia cordis nostri Christi vomere frangitur, et eradicantur spinae vitiorum, ut semen sermonis Dei crescat in fruges, et postea labores manuum nostrarum manducemus. Et divus Ioan. Chrysostomus: *Quantam, inquit, abundantiam pacis nunc videmus, ut caro quae concupiscit adversus spiritum, subiugatur, et subiugati sint affectus carnales spiritui, sit abundantis pacis, donec tollatur luna, id est, finiatur omnis Ecclesiae praedicatio: Ecclesia enim luna dicitur, quae crescit in sanctis, decrescit in peccatoribus: quibus persimilia sunt praecleara illa verba divi Augustini (lib. 1. de serm. Dom. in monte), qui exponens locum illum: *Beati pacifici, inquit: Pacifici in seipsis sunt, qui omnes animi motus componunt, et subiectos rationi, et spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, sunt regnum Dei, in quo ita sunt ordinata omnia, ut id, quod est in homine praecipuum, et excellentissimum, hoc excellit in homine, id est, mens, et ratio, subdatur potentiori, Deo scilicet: et haec est pax, quae datur in terra hominibus bonae voluntatis, haec vita consummati, perfectique sapientis; haec d. Augustinus.***

Est tandem et alia pax, quae animorum unionem et concordiam importat, quam Christus Dominus toties inculcavit, et commendavit, ut exinde miram eius utilitatem deprehendere debeamus. Etenim praeterquam quod illo nascente pacem evulgavit, certe pacificos filiorum Dei illustri nomenclatura cohonestavit, dicens (Matth. 5): *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Discipulos illa salutatione uti praecipit (Luc. 19): *Pax huic domui.* Rurus ad crucem, quasi in testamento pacem discipulis donavit (Ioan. 14): *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Post resurrectionem, ad discipulos clausis ianuis intrauit, illis verbis eos salutavit (Ioan. 20): *Pax vobis.*

Certe ethnici non a Christo edocti, sed rationis solo lumine illustrati, ita pacis, et concordiae cultores fuerunt, ut merito nos Christiani eorum gesta audientes, verecundia erubescere deberemus. De Leone Bizantino memorat Erasmus, quod Philippo regi cum exercitu Bizantium properant occurreret: *Dic, inquit, Philippe, quae causa te in urbem nostram impulit? quo respondente: Patriae tuae amor: atque, ait ille, non bellico instrumento, sed musico amantibus est opus.* Musonius scilicet est, nullas nuptias sine concordia esse honestas, nullam societatem utilem, quod lepido exemplo idem Sophista Leo demonstravit. Venerat Athenas de pace verba facturus, et tumultuantii populo concordiam susaurus, cumque esset corpore pusillo, omnibus movit risum: ille occasione fortuitam in proemium vertens: *Quid, inquit, viri Athenenses, si concipieretis uxorem meam, quae tam pusilla est,*

ut vix ad genua mea pertingat? ad quam vocem maior obortus est risus: tum subiecit Leo: At nos tam pusillo, si quando dissidemus, vix Bizantium capere potest. Illaesum Sophistam memorat Plutarchus, cum Lacedaemonii de moenibus oppido suo circumducentibus consularent, Homerium versum reclasse:

Scutus haesit scuto, galeae galea, atque viro vir,

Et adiecit:

Sic Lacedaemonii stete, et muris cincti sumus.

Hinc Agesilanus rex percontanti, cur Spartana civitas muris careret, cives exhibuit armatos, et unanimes.

Africanus Scipio, cum Numantinos saepe virores tandem superasset, rogavit Tyresium principem Collicium, quomodo Numantia haec eversa fuisset, quae prius tot gentium victrix fuerat; cui Tyresius: *Pax et concordia civium eam victoriam; discordia tam praecipis exitum produxit.* Blond. etiam (lib. 2. de Roma inst.) refert, olim fuisse in monte Palatino templum concordiae dicatum, a Tiberio Caesare instructum, et iuxta eundem montem aliud magnificentissimum templum aedificatum a Vespasiano in honorem pacis, quo nullum erat augustius delubrum. Quod si gentiles pacem, velut numen quoddam venerabantur; quanto avocatus est, ut eandem nos fideles summo studio comparare laboremus, qui pacis auctorem Christum habemus; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XIV.

Deipara Virgo utero suo Christum gestans coelo comparatur, quo Deus sanctos beat, in eadem verba: Beatus venter qui te portavit, (Luciae 11).

Primum omnium arbitror fuisse Davidem, qui beatam Virginem coelum appellavit, dum (Psal. 18) dixit: *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currentem viam, a summo coelo egressus eius.* Etenim per coelum hoc loco intellexisse beatam Virginem, illud non obscure indicat, quod, postquam dixisset, Christum Dominum humanae carnis purpure oratum, ex virgineo thalamo matris suae, instar sponsi processisse, continuo subiunxit, haec processionem esse egressum a coelo (ibi. 1) *summo coelo egressus eius.* Quibus verbis etiam insinnavit, Christum Dominum ex matris utero progressum absque ulla prorsus suae virginitalis lactura: nam sicut, cum quispiam exurum, qui in coelo habitant, et coelo descendit, ut in hac militanti Ecclesia ministerium aliquod exequatur, coeli ianuis clausis, et absque ulla eius divisione ab eo egreditur, ita et Christus a coelo Mariani uteri, clausa manente eius ianua, et absque ulla suae integri-

tatis lactura prodiit. Hoc etiam perillustri coeli cognominis opinior divum Paulum appellasse beatam Virginem (1. Corinth. 15), ubi, postquam dixerat: *Primum hominem de terra terrenum, secundum, subiuinxit, scilicet Christum, de coelo coelestem ipse autem alibi (ad Gal. 4); appellat illum factum ex muliere: ergo mulier haec, ex qua formatus est secundus homo coelestis, mysticum quoddam est coelum: quamvis alioquin non me lateat in sensu literali, Apostolum appellasse Christum de coelo coelestem ratione Verbi, quod de coelo descendens in utero beatae Virginis, ex purissimo eius sanguine naturam sibi univit humanam.*

Deinde Ecclesia catholica plane in officio natalis Domini b. Virginem coelum compellat, ex quo armatus prodiit Christus Dominus ad debellandas aereas potestates: *Cum quietum silentium teneret omnia, et non in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine de coelo a regalibus sedibus tuis debellatur in medium exterminii terram prostravit.* Accommodate satis Verbum divinum incarnatum sermo vocatur: tum quia sermo apud nos solum dicitur verbum vocale; sicut autem verbum vocale nihil aliud est, quam verbum mentis, prout humana voce expressum, ita Christus nihil aliud est, quam Verbum aeterni Patris humana carne indutum: tum quia sicut sermo secundum latinorum rigorem importat orationem, quae ex pluribus vocibus coalescit; ita Christus Dominus suppositus est divinum, ex duabus constans naturis: ipse ergo, qui omnipotens sermo Dei est, daemones forti armato custodiende atrium sumum, pacis silentio omnia possidente, ac idololatrya universum fere orbem occupante, ex coelo uteri virginis media nocte prodivit ad profligandos hostes, et arma eius diripienda, iuxta illud (Isa. 8): *Antequam sciat puer vocare patrem suum, et matrem, auferet fortitudo Damasci.* Ac tandem Ecclesiae Patres beatam Virginem pleno ore coelum vocitant: ita loquuntur divus Epiphanius (serm. de laud. Deip.), sanctus Athanasius (ser. in descript. sanct. Mar.), s. Ioannes Chrysostomus (ser. de Annunc.), sanctus Methodius (serm. in hypop. Dom.), s. Augustinus (ser. 18. de sanct.), s. Bonaventura (in spec. beat. Virg. cap. 5) ubi ait: *Coelum est Maria, tum quia coelesti puritate, coelesti charitate, coelestibus aliis virtutibus abundavit, tum quia sedes Dei altissima fuit, teste propheta, qui dicit: Dominus in coelo paravit sedem suam: et divus Ioannes Damascenus (serm. sec. de dorm. beat. Virg.) inquit: *Virgo immaculata, cum esset animalium coelum, in coelestibus tabernaculis collocatur; ac divus Bernardus (ser. 3. sup. Sale. Reg.): *Per coelum firmamenti dividit aquas ab aquis, quod (Gen. 1) initio creasse scribitur Deus, significatam ostendit his verbis: *Et opera manuum eius annuntiat firmamentum. Fiat, inquit, firmamentum, et dividit aquas ab aquis: omnibus firmamenti firmius firmamentum tu Domina, quae cum, quem coeli capere non poterant, coepisti, et concepisti, portasti, et non defecisti, genuisti, aluisti, parvisti, mammisti, et educasti, tu in medio aquarum dividisti aquas ab aquis, affectus videlicet aeternorum ab affectibus temporum****

lium. *Posuit Deus in hoc firmamento solem et lunam, Christum, et Ecclesiam, et stellas, praerogativas gratiarum multas; hactenus d. Bernardus.*

Porro, quam mirifice congruat beatæ Virginis hæc coeli nomenclatura, qua sancti Patres illam illustrant, latius enucleare exordiamur. In primis inter omnia, quæ magnitudine molis constant, nullum corpus incorruptibile est, nisi coelum: mixta omnia, et elementa quotidie corrumpuntur, solum coeleste corpus omnis corruptionis expers perseverat; non dissimiliter, cum omnes filii Adæ naturali modo propagati, peccati originalis corruptionem sustinent, et matres omnes integritatem corporis amittant; solum Marianum coelum, specialiter filii sui gratia factum est incorruptibile secundum utramque partem animæ, et corporis: animæ quidem, quia peccati originali contagio, et corruptio nec per momentum illam unquam infecti: ut enim dixit divus Bernardus (*hom. 2. super Miss. est*): *Factor hominum ut homo ferat, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere matrem, qualem et se deesse sciebat, et sibi noverat placituram; quis autem non perhorrescat dicere, decessisse Matrem Dei originali macula fuisse inquinatam, aut Deo placitum iri, matrem sumere quondam peccati turpitudine foedatam?* secundum corpus autem, quamvis vera Mater, et utero suo filium conceperit, corruptionem omnino nescivit, virginalem tam mentis, quam corporis perpetuo servans, ut his verbis præclare dixit divus Cyprianus (*lib. de oper. Christ. cardinali*): *In Nativitate Christi Matri plenitudo gratiæ debebatur, et beatæ Virginis abundantia gloriæ, quæ carnis et mentis integritate insignis, spirituali et corporali intus et extra Christi presentia fruebatur; hæc ille. Per mentis autem integritatem illuminatus doctor Mairon (*ser. 2. de concept. b. Virg.*) intelligit carentiam omnis peccati etiam originalis, quia virginalis integritas creaturæ rationalis in eo posita est, ut nunquam per peccatum, quæ est violatio, et corruptio illius integritatis, a Deo recesserit: etenim quamvis per gratiam subsequentem præcedens illa infectio lollatur, dignitas tamen illa virginea iam amissa non reparatur; eo namque ipso, quo quispiam peccarit, licet per gratiam insufficienter, tolli non potest, quin peccatorem fuisse vere dicatur. Quare, cum beatissima Virgo fuerit integerrima anima, et corpore, fateamur necesse est, ab omni corruptione iam mentis, quam corporis, eam longe fuisse merito ergo coelo propter miram suam incorruptibilitatem Virgo inviolata comparatur. Coeli deinde ea est natura, ut in eo nulla sit contrarietas: de reliquis corporibus quidam poetarum dixit:*

Frigida pugnant calidâs, lumentia siccis.

Materia in illo totaliter subiecta est formæ, neque ei adullerium machinatur, ut mos est mæteriæ rerum corruptibilium, non dissimiliter ac si diceret: video in Virgine apte satis coeli nomenclaturam convenire, in qua corpus per omnia subditum erat animæ; caro,

sicut in reliquis, non concupiscebat adversus spiritum, nulla ibi erat rebellio partis inferioris adversus superiorem, nullum inter eas fuit unquam excitatum bellum, summa erat pax, et concordia, per illam, quæ viguit in arca Noe mirifice adumbrata, in qua licet essent animalia natura inimicissima, et magnæ inter se antipathia, ut lupus, et agnus, canis, et lepus, summa tamen tranquillitate, et pace perfruebantur. Certe, in omnibus aliis filiis Adæ cum fomes peccati non fuerit extinctus, quem Apostolus (*ad Rom. 7*) vocavit peccatum, quod habitat in me peccatum: non quod vere in re-nalis maneat peccatum, sed quia, ut docet sacrum Concilium Tridentinum (*sess. 5*): *Ex peccato est, et ad peccatum inclinat: propter quod Apostolus, licet alioquin in gratia confirmatus, ibidem dixit: Invenio in membris meis aliam legem, repugnantem legi mentis meæ, cui non dissimile est illud d. Augustini (*serm. 12. de verb. Apost.*), ubi de hoc fomite, seu concupiscentia, quia est effectus peccati originalis, loquens dixit: Ego, quicquid in me rebellat adversus mentem meam, et litigat mecum delectatione contraria, omnino interficere volo; et si ei forte adjuvante Deo, non consentiam, nolo habere, cum quo litigen: multo est mihi optabilius, inimicum non habere, quam illum vincere; hæc d. Augustinus. Beata autem Virgo illud optabilis, quod divus Augustinus consequi desiderabat, nempe hoc interno concupiscentiæ inimico carere, ipsa ex singulari gratia obtinuit, ut propterea Richardus Victorius (*lib. 2. de Emman. cap. 19*) verba illa (*Pt. 43*): *Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terræ, de Delpara Virgine in hunc modum exponat: Quæ est terra ista, de qua bella omnia finctenus auferuntur? nisi illa, de qua idem Propheta ait: Veritas de terra orta est? de hac terra omnis pugna tollitur, in hac pax plena reparatur. Atque hinc etiam est, quod sicut coelum non est capax alienius peregrinæ impressionis, ut loquuntur astrologi, ita nec Delpara propter mirabilem eius impeccabilitatem nullam peregrinam levissimam etiam peccati originalis impressionem unquam suscepit, ut sacrum Concilium Tridentinum definiit (*sess. 6. canon. 23*), et ante illud concilium Claremontanum sub Urbano II. Unde divus Bernardus (*sermon. 2. de assumpt.*) recte dixit: *Abiit, ut propter quicquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopula Lazari quaereretur; et quidem, ut in hoc a metaphora coeli non egrediamur, sicut coelum in motu suo propterea nullum errorem committere potest, quia semper obediit intelligentiæ motrici, seu angelo moventi illud, idecirco etiam b. Virgo in nullum peccati errorem labi poterat, quia Spiritui s. suo motori ad nutum obediebat, et ab eo, quo illi placebat, se moveri sinebat: etenim, si, qui filii Dei sunt, spiritu Dei aguntur, quanto magis, quæ filia pariter, et mater Dei erat, spiritu Dei ageretur?***

Praeterea, si gravissimum doctorum ea fuit sententia, ut putarent, coelum sonum, ac musicum concentum edere; in qua video fuisse

divum Isidorum (*lib. 3. etymol. cap. 16*), d. Ambrosium (*lib. 1. de imagin. mund.*), d. Ambrosium (*prof. in Psalm.*), Boetium (*lib. 1. de mus. cap. 2*), Macrobius (*lib. 2. in somn. Scipion.*), Caetium Rhodicius (*lib. 5. lect. antiq. cap. 25*), Plinius (*lib. 2. histor. natur. cap. 16*), imo et Platonem, dum (*in lib. de republ.*) docet singulis orbibus coelestibus singulas Syrenes insidere, arbitrator, Syrenes vocasse intelligentias motrices ipsorum coelorum, quod idem refert Gregorius Venetensis (*tom. 5. in probl. in sac. Script. sess. 5. numer. 321*), videnturque huius musici sonus concentum indicasse verba Davidis (*Psalm. 18*), cum de coelis loquens, dixit: *In omnem terram exiit sonus eorum*: seu, ut potest ex Hebraeo transferri: *Exiit linea eorum, vel, amissis eorum*: quo significatur, coelorum musicam ad lineam, et amissim fuisse concinnatam; sed clarius huius coelestis musicæ meminit Iob, dum (*cap. 33*) dixit: *Quis enarrabit coelorum rationem? et concentum coeli quis patefaciet?* itaque, si verum est, coelis concentum inesse, certe hic non desideratur in hoc Mariano coelo: nam praeterquam, tanquam divina tympanistria, ut d. Ambrosius loquitur (*in cap. 1. Luc.*), suave illud melos cecinerit: *Magnificat anima mea Dominum: et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*: frequenter divinas laudes aut ore, aut mente tenuis concinebat, ut propterea non immerito d. Ephrem (*in orat. de Deip.*) illam vocaverit, *thuribulum aureum*, quia ipsa ex se instat thuribuli, divinarum laudum suavissimum odorem ad coelum usque emittebat, cui consonat, quod d. Ambrosius (*lib. 2. de Virgin.*) appellat illam *Altare thymiamatis*: nam, quemadmodum altare illud erat cornibus insignium, in quo suavissimi odoris thymiamata mane et vesperi adolebatur, ita sanctissima Virgo adversus daemones saevissimos hostes in quatuor partes mundi divisa, fortiter instructa, fragrantissimi suae orationis thymiamata, et Deum placabat, et tartareas potestates longe propul-sabat.

Ad hæc, sicut coelum nihil magis ornat, quam sol in eo habitans, dum aureis suis radiis coruscans, totum illud illustrat; sic super omnia illud excellentissimè b. Virginem exornat, quod Sol iustitiæ Christus Dominus in ea habitaculum suum per integros novem menses fecerit, dignaque facta sit, solem ipsum in sui ornamento habere: ad quod respiciens d. Ioannes (*lib. suarum revelationum*) dixit (*Ap. 12*): *Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius; et in capite eius corona stellarum duodecim; et in utero habens; quæ ultima verba apte explicantur per illa (*Cant. 4*): *Quam pulchra es amica mea, oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet: filius enim, qui intrinsecus in utero latebat, multo pulchriorem reddebat b. Virginem, quam fructus arborem, a qua pendet: ex hoc enim obtinuit Dei matris dignitatem præexcellentem adeo, ut quamvis omnipotentia Dei sit infinita, ad efficiendam tamen perfectiorem matrem, sicut nec ad generandum perfectiorem filium, nulla ratione valeat extendi.**

CARTHAGENA de B. M. V.—Vol. III.

Praeterea sicut coelum est speciale Dei domicilium, in quo Deus inhabitat, unde, licet alioquin Deus sit ubique, Christus Dominus orare nos docuit, dicens (*Luc. 11*): *Pater noster, qui es in coelis*: et David (*Psalm. 112*): *Deus qui in altis habitat*; ita b. Virgo per totum vitæ suæ curriculum, mysticum fuit coelum Dei, in quo specialiter prae omnibus aliis Altissimus habitavit. Quare Ezechiel (*cap. 48*) b. Virgini sub metaphora civitatis, cognomen imposuit ab habitatione Dei in illa, dicens: *Nomen civitatis Dominus viderit*: et d. Rupertus (*in Cant. 5*) ad b. Virginem sermonem dirigens, dixit: *O coelum Dei, unica sedes Domini*. Attende quaeso, non vocasse illam coelum, sed coelum Dei, sacrae Scripturae phrasim, et morem imitans, quæ excellentiora quæque, et praestantiora Dei esse dicit, ad eorum excellentiam, et praestantiam indicandam; unde (*Psalm. 79*) ad cedrorum proceritatem significandam appellavit, *cedros Dei*; et ad ostendendam urbis Hierosolymæ magnitudinem (*Ps. 26*) inquit: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei*: ita Rupertus ad excellentiam b. Virginis commendandam non contentus est, vocare illam coelum, sed coelum Dei; quasi diceret: reliqui omnes coeli, angelorum, et hominum coeli sunt, ut sit eorum habitaculum, beata autem Maria Dei coelum est, in qua specialiter Deus inhabitat. Quis autem non videat, multum interesse inter domicilium servorum, et habitaculum regis proprium? Thomas (*1. p. qu. 43. art. 3*) affirmat, *creaturæ rationali propter communem modum, quo Deus est propter suam immensitatem in rebus omnibus convenire, ut per gratiam verbum facientem inhabitet in eo, sicut in templo*: ex qua doctrina aperte colligitur, ut quo maior hæc fuerit gratia, tanto specialius Deus inhabitet in habente illam. Unde, cum gratia b. Virginis adeo creverit, ut d. Epiphanius (*ser. de laudib. Deip.*) ausus sit dicere: *Gratiæ sanctæ Virginis est immensa*; qui persimile est illud d. Bonaventuræ (*in specul. b. Virg. cap. 5*): *Immensa fuit gratia quæ ipsa fuit plena, immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quod est plenum; Maria autem vas immensissimum fuit, in quo illum qui coelo maior est, continere potuit; quare consequens est, b. Virginem fuisse coelum, in quo Deus specialiter prae aliis omnibus semper inhabitavit.*

Quia tamen coelum non unum est, sed undecim nimirum, primum orbis lunæ, secundum Mercurii, tertium Veneris, quartum solis, quintum Martis, sextum Iovis, septimum Saturni, octavum stellarum, novum crystallium, seu, æqueum, decimum primum mobile, undecimum empyreum. Sane inter omnes illos ex duplici capite similiorum video beatam Virginem coelo empyreo primo, quia sicut illud est omnium capacitate maximum, cum infra se universa corpora claudat, tam coelestia, quam terrestria, ita capacitas Mariani coeli tanta esse perhibetur, ut quem coelum empyreum reliquos omnes coelos intra se claudens capere non potuit, ipsa suo utero concluderet, et alioquin incomprehensibilem Virginem sui ventris circulo comprehenderet: id enim sibi voluit

verba illa Hieremiae (cap. 31): *Mulier circumdabit virum*: nam quod undique circumdatur, comprehenditur. Unde divus Epiphanius (serm. de laud. Mar. Deip.), tantum prodigium admiratus, in illa verba exclamans, prorupit: *Uterum impollutum, habentem circulum coelorum, qui Deum incomprehensibilem, in te vere comprehensum portasti: o uterum coelo ampliore, qui Deum in te non coarctasti: o uterum, qui coelum es septem circulis constans, et capacior illis existis: o uterum septem coelis sublimiorem, ac latiore. O uterum, qui es octavum coelum septem firmamentis latiore*; haec divus Epiphanius: quibus persimilia sunt illa d. Chrysologi (serm. 143): *O vere benedicta, quae fuit maior coelo, fort or terra, orbe latior; nam Deus, quem mundus non capit, sola capit, et portavit eum, qui portat orbem, genuit suum genitorem, nutritio omnium viventium nutritorem*. Ac tandem d. Bonaventura (in spec. b. Virg. cap. 6) inquit: *Tu ergo immensissima Maria capacior es coelo, quia quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti: tu capacior es mundo, quia, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera, factus homo*. Quod si quispiam dicet, qua ratione verificatur, quod coeli coelorum Deum capere non possunt: nam cum totus Deus sit in qualibet creatura, et etiam in minimo atomo per essentiam, praesentiam, et potentiam, etiam minimus atomus capit illum; occurrendum est, quod, quia Deus immensus est, taliter totus sit in una creatura, quod totus etiam sit in reliquis omnibus, et in singulis; et ideo veraciter dicitur, nullam creaturam, etiam coelum, illum capere posse. Sed hinc maior oritur difficultas, quomodo verificetur, et in laudem b. Virginis vertatur, quod quem coeli capere non possunt, ipsa capere poterit? nam certe b. Virgo utero suo solum contulit Christum infantem; empyreum autem coelum continet illum multo grandiore factum, partierque continebit pene infinitam multitudinem corporum beatorum; capacius ergo videtur coelum utero b. Virginis. D. Epiphanius (serm. de laud. Deip.) solvit hunc nodum, referens maiorem hanc capaciatem b. Virginis ad copiosissimam eius gratiam, non ad uterum virginum: verba eius sunt haec: *Quoniam pacto coelum ea, quae coelos amplitudine superavit, suscepit? nonne corporeae melis ratione coelum amplitudine superavit; quoniam ergo modo corpus, quod tribus cubitis constat, coeli latitudinis, ac longitudinis comparari queat? verum per gratiam potius magnitudinis modus superavit: nec enim est aliquid quod Deo conferri possit; hactenus d. Epiphanius. Opinor tamen verba Ecclesiae: *Quem coeli coelorum capere non possunt, tuo gremio contulisti*, apte intelligi etiam posse de ipso utero Virginis, non tamen excludendo copiosissimam gratiam qua beata Virgo erit perflua: etenim licet omnis creatura totum Deum intra se contineat, nulla tamen, excepta beata Virgine, debitam capaciatem habuit ad continendum illum utero suo, tanquam mater; tum quia vel non erant principia apta ad generationem humanam, ut matris munus obirent, per quod excluduntur omnes coeli; vel si erant apta, ut revera fuerunt*

omnes foeminae, et maxime focundae, ea tamen aptitudo et capacitas per sexus naturam erat nimis remota; ad capiendum autem Deum intra proprium uterum, proxima requirebatur aptitudo per gratiam Dei parenti congruam, et consentaneam, quam quia sola b. Virgo feliciter obtinuit, de illa sola verificatur, utero suo capere potuisse, quem nec coeli coelorum, nec universus orbis capere poterunt.

Secundo in eo singulariter beata Virgo coelo empyreo persimilis esse perhibetur: quia sicut illud proprius est locus beatitudinis, ubi Deus beatus clare, et faciliter se manifestat; ita sacratissimus Deiparae venter primus locus fuit in quo Deus permanenter clarum, et beatificam sui visionem animae Christi Domini communicavit: cum certum sit, a principio suae conceptionis valorem pariter, et comprehensionem ipsum extitisse: mira sane virginis uteri laus, ut cum aliarum foeminarum venter officina sit peccati originalis, ut David plorabat (Psal. 50): *Et in peccatis concepit me mater mea*, quod clara Dei visione hominum indignum reddit, solus Marianus uteris dignus locus fuerit visionis beatificae, et beatitudinis prima officina; ut sic iure optimo Evangelica illa mulier beatum nuncupaverit immaculatam b. Virginis ventrem: *Beatus venter, qui te portavit*.

Philosophi antiqui in varias abierant sententias, in quo consisteret beatitudo; adeo ut ducentae octoginta octo circumferrentur sententiae, quas omnes collegit Marcus Varro, ut auctor est d. Augustinus (lib. 19. de civitat. Dei cap. 1). Quidam, teste d. Ambrosio (lib. 3. off. cap. 2), beatitudinem constituebant in integra, ac perfecta corporis sanitate, ac recta valetudine. Alii, ut Heryllus philosophus, in perfecta rerum naturalium scientia, ac limpida cognitione: alii, ut Calippus, in voluptate, et omnis doloris carentia: Possidones unus ex philosophis stoicis, in divitiarum affluentia. Antistenes in alacritate et hilaritate, Thymon in tranquillitate, Pythagoras in perfecta Arithmeticae cognitione, Heateus in rerum omnium ad vitam humanam necessariarum sufficientia: verum has omnes philosophorum sententias a veritatis scopo longe aberrare docuit sapientiae pater Christus Dominus, dum illas omnes damnavit, dicens (Luc. 6): *Vae vobis divitibus, vae vobis, qui ridetis: beati pauperes, beati qui lugent: beati qui persecutionem patiuntur*. Et quidem cum primum sit beatitudinis satiare; manifestum est, omnia illa ex philosophorum sententia a me nuper commemorata, nec umbram verae beatitudinis habere: cum honores, divitiae, scientia, et similia alia bona, quae absque Dei amicitia obtineri possunt, non solum non satisfiunt, sed potius maiorem famem excitent, multisque soleant malis tam animi, quam corporis permisceri. Igitur qui nosse desiderat, virginem uterum Christum portantem contempletur, quia in eo reperiet veram beatitudinem, animam plene satiatam, delitescere. Nam vel sermo est de beatitudine obiectiva, vel de formali, ut more scholasticorum theologorum loquar: si de beatitudine obiectiva, ecce in Ma-

riano ulero later infans Deus, et homo, quod est obiectum nostrae beatitudinis, et praenium, et merces iustorum, ut loquitur s. Thomas (in hym. in fest. Cor. Christ.):

Se regnans dat in praenium:

et luculenter praedixit David (Psal. 136), cum cecinit: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce haereditas Domini, filii merces fructus ventris*. Praeclarum sane, et omni exceptione dignum virginis ventris praenium, ut fructus illius sit obiectum beatificum, tam hominum, quam angelorum, imo et ipsiusmet Dei: si autem sermo sit de beatitudine formali, plane haec etiam adfuit in utero virginis per tot menses, quod intra viscera sua Deipara Virgo Christum infantem portavit. Certum enim est, hanc consistere in clara Dei visione, vel in ardenti amore ad illum consentu, vel in ardenti amore, ut in utroque copulatum; hanc autem habuit perfectissime Christus Dominus, dum viator erat, ut docent theologi (in 3. dist. 14), et d. Thom. (3. par. quaest. 10. art. 2. in corp. et ad secundum). ubi duplicem constituit in Christo beatitudinem, unam increatam, et aliam creatam: verba eius sunt haec: dicendum, quod ex ipsa unione homo ille est beatus beatitudine increata, sicut ex unione est Deus, sed praeter beatitudinem increatam, oportuit in praeter humana Christi esse quandam beatitudinem creatam, haec autem frui coepisse Christum Dominum ab instanti suae conceptionis in utero virginis, communis est sententia eorumdem theologorum, habetque fundamentum in illo d. Ioannis (c. 1): *Deum nemo vidit unquam, unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrabit*. Quibus verbis praesupponit, se, qui unigenitus erat, clare Deum videre, et propterea posse enarrare. Sicut autem per humanitatem narrabat, ita et per eandem videbat. Fundatur etiam in illo d. Ioannis (c. 3): *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo*. Cum autem tunc esset in terra, planum est, per coelum, in quo se esse dicebat, intellexisse gloriam, et beatitudinem. Fundatur deinde in illo d. Ioan. (ibid.): *Quod scimus, loquimur; et quod vidimus, testamur*; et in illo d. Ioannis (ibid.): *Ego, quae vidi apud Patrem, loquor*; ac etiam in illo divi Ioannis (c. 12): *Ubi ego sum, illic et minister meus erit: et (cap. 14): Ubi ego sum, et vos sitis*. Quibus locis ministris suis promittit statum beatificum in praenium sui ministerii: praesupponit igitur, iam ipsum obtinuisse talem statum. Ac tandem fundatur in illo praeclearo testimonio Isaiae (c. 4): *Ecces Dominus veniet, et merces eius cum eo*. Constat autem, beatitudinem formalem mercedem esse beatorum. Cum igitur hanc dicat Isaia, veniente Domino, in uterum b. Virginis venisse cum illo, consequens fit, Christum Dominum beatum fuisse a principio suae conceptionis. Unde d. Eusebius (lib. 10), explicans de Christo verba illa (Psal. 12): *In te proiectus sum ex utero matris meae*, introducit illum, ad Patrem dicentem: *Ex tunc Deum meum iam videbam*; cui persimile est illud Richardi de sancto Victore (lib. 2. de Enman. cap. 22), ubi

inquit: *Quod nos exspectamus in consummatione, illi datum est in sua conceptione*.

Ac tandem eidem veritati, quam negare, vel haerere, vel errorem esse sentio, utpote communi Ecclesiae catholicae traditioni, ac locis sacrae Scripturae, iuxta receptissimam Patrum intelligentiam expositis, valde adversum, multiplex ratio optulatur. Prima, quia Christus Dominus a principio suae conceptionis fuit Filius Dei naturalis, atque adeo ex tunc coepit esse haeres, et possessor, cum expectanda non esset interventura Patris mors ad hoc, ut in haereditatis possessionem mitteretur: nec infantilis illa actus visioni beatificae impedimento esse poterat, cum sit operatio omnino independens a corpore, et totam facultatem naturae longe transcendens. Secunda, quia Christus Dominus ab exordio suae conceptionis fuit caput omnium hominum, et angelorum, in illis influens gratiam, in hos gratiam, et gloriam: node ipsi iussi sunt a Deo, cum introduxit filium suum in orbem terrarum illum adorare, et tanquam proprio capiti subici, ut tradidit d. Paulus (ad Hebr. 1). Quis autem, nisi desipiat, sibi persuadet, Christum fuisse caput angelorum in inferiori statu gratiae, ubi gloria constitutum, quam angeli tunc essent? Tertia ratio, quia Adam, eo quod futurus erit naturae principium generis humani, creatus fuit a principio perfectus in naturalibus: ergo Christus, qui est supremus auctor gratiae, et gloriae, debuit a principio suae conceptionis habere gratiam, et gloriam summe perfectam. Unde et ipsa b. Virgo, probe agnoscens, et beatitudinem esse summam omnium requiem; et hac frui natum suum in eius utero, sicte dixit (Ecl. 24): *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*. Nec huic catholicae veritati quidquam obstet illud d. Ioannis (c. 7): *Nondum erat spiritus datus, quia nondum erat Iesus glorificatus*; aut illud (Luc. 24): *Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam*: quia haec testimonia, et si quae sunt alia similia, unanimis est Patrum sententia, intelligi debere non de gloria essentiali, sed de gloria resurrectionis, et ascensionis, ac de manifestatione, et exaltatione sanctissimi nominis Christi; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XV.

Beatissimam Virginem Deiparentem etiam et proprie thronum Dei esse, varia tam sacrae Scripturae, quam sanctorum Patrum eruditione commonstramus, in illa verba: Beatus venter qui te portavit.

Frequenter in sacris eloquiis reperimus, Deum sedere super thronum, praecipue tamen id legitimus (3. Reg. 22. Ezech. 1. Daniel. 7), et ut reliqua omittam, (Isaia 6), ubi id sacer propheta vidit Dominum super thronum excelsum, et elevatum, quem locum expendens d. Chrysostomus (hom. in haec ver.), quaerit, cur,

cum dixisset, *solum excelsum*, adiecit, et elevatum; et respondet per hoc divinae dignitatis eminentiam declarari: excelsum enim respectu inferiorum dicit, elevatum vero significare sublimitatem in se ipsius naturae divinae incomprehensibilis, etiam secluso quocunque respectu, quom nec cogitatione concipere, nec verbis eloqui quispiam potest; haec ex Chrysostomo: qui plane id mihi videtur didicisse ab antiquissimo Dionysio Areopagita (c. 9. de divo. nomin.), ubi de divina sede, seu throno pertractans, docet thronum Dei divinae naturae excellentiam significare, qua in se ipso Deus ab aeterno est, et immobiliter quiescit ad supremam eius super omnem creaturam auctoritatem: verba eius sunt: *Quid vero de divino statu, sive sede dicamus? quidnam aliud, nisi Deum in se manere, et constanter in una, eademque natura, quae sit immobilis, fixum esse, ac firmiter locutum, eodemque modo, et in eodem agere? atque per id quod ipsum immutabile est, et quod ipsum immobilitate est, ab omni sui mutatione ac motu omnino solum esse, et liberum; atque id ratione quadam quae essentiam superat. Is enim omnium et status et sessionis auctor est, qui omni sessioni, atque statui antecellit, in eoque omnia constant, dum ex suorum honorum quiete, atque constitutione immota servantur*: haec Dionysius.

Verum tametsi Dei sedes seu thronus sic accipi solet, plura tamen sunt, quibus haec divina oracula throni nomen in creaturam tribuunt. Nam in primis Christus Dominus coelum appellavit thronum Dei (Matth. 5): *Ego autem dico vobis, non turare omnino per coelum, quia thronus Dei est*. Nubes deinde thronus Dei appellatur (Ecc. 24): *Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis*: quod propterea dixit, quia Deus per columnam nubis in deserto filiis Israel ducatum praeferebat, eosque ab aestu solis protegens, ad terram promissionis perduxit. Rursus animam iusti thronum esse, in quo Deus sedet, manifeste indicat illud Salomonis (Sapient. 7): *Animam iusti sedes sapientiae*. Ac tandem spiritus angelicos, tertii praecipue ordinis nemo est qui ignoret thronos appellari, ut tradit divus Dionysius Areopagita (cap. 6. de coel. hier.), nec non et d. Gregorius (homil. 34. in Evang.) ait: *Ipsi enim throni tanta divinitatis gratia replentur, ut in eis Dominus sedeat, et per eos sua iudicia decernat*. Unde per Psalmistam dicitur: *Sedes super thronum, qui iudicis aequitatem*.

Caelorum praeter haec omnia reperio, non solum sanctos Patres, sed et divina eloquia appellatione throni Deiparam Virginem saepe sapienter honestare: etenim in primis illud Hieremias (c. 17): *Solum gloriae altitudinis a principio locus sanctificationis nostrae expectationis Israel*, licet Lyranus exponat de coelo empyreo altissimo, ubi Deus se videndum exhibet sanctis, Glossa vero Interlinearis (Ier. 14), templo Salomonis, Aug. autem (lib. 13. contra Faust. cap. 13) de Ecclesia catholica, noster tamen Galatinus (lib. 7. de arcans. cathol. ver. cap. 18) illa omnia de sanctissima Virgine ad litteram eleganter sic interpretatur: *Per solum, inquit, gloriae gloriosam Virginem Matrem Mes-*

*siae intelligi arbitror, quae, cum sit in coelesti gloria super omnes choros angelicos exaltata, recte dicitur solum altitudine, id est sedes Dei altissimi, super quam divina sedet maiestas; dicitur vero solum gloriae, quia sicut sedes ornata, ac regio more parata, sedentis magnificentiam ac maiestatem indicat, ita Deus in beata Virgine ostensus erat gloriam suam, et claritatem, ipse enim Christus est lux vera, quae illuminat omnem hominem. Additur solum gloriae a principio, id est, ab initio immaculatae conceptionis, quae fuit sine ulla labe peccati; haec ex Galatino. Quod autem de beata Virgine id intelligendum sit, probat non solum ex dictis; et praeterea auctoritate eiusdem Rabbi Hakados magnae apud Hebraeos auctoritatis, quem Hebraei honoris causa appellant Rabbi Hakados, id est, magistrum nostrum, dicentis, Matrem Messiae esse sedem, quam Deus construxit, ut in ea sederet rex Messias ad ostendam omnibus mortalibus maiestatis suae gloriam; sed etiam id confirmat Galatinus ex verbis illis Expectatio Israel Domine, qui ex matre sua sanctissima proditurus erat. Quia etiam (3. Reg. 11) thronus eburneus Salomonis legitur per illum mystice praefigurari, et significari b. Virginem, quae nihilissima fuit sedes pacifici Salomonis Christi Domini, qui est pax nostra, frequenter docent sancti Patres: nam praeter d. Bonavent. (in spec. b. Virg. cap. 2), et d. Antonium (1. p. titul. 15. c. 44. §. 7), id asserentes; certe b. Petrus Damianus (ser. de nat. Virg.) haec praeclara verba in huius rei confirmationem edixit: *Fecit thronum, utrum videlicet intemeratae Virginitatis, in quo sedit illa maiestas. Hanc sessionem filii, et probavit, et cognovit Pater, ipso dicente, tu cognovisti sessionem meam, thronus tuus Deus in saeculum saeculi, et thronus iste, sicut sol in conspectu tuo. Et vox de throno exivit, dicens, laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius, et ex throno, inquit, hoc est ex Virgine, laus angelorum prorumpit, et hominum, quia dum his restituitur, ille resarcitur, utriusque gratiarum debent devotionem. Nosti quidnam dicat, qui sedet in throno? Ecce nota facio omnia; felix thronus in quo sedet dominator Dominus, in quo et per quem non solum omnes, sed omnia renouantur; haecenus Petrus Damianus.**

Thronus quoque saphyrynus Ezechielis (cap. 1) quid aliud, quam beatam Virginem praesignificabat: sic enim legitur, et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, nimirum quatuor animalium quasi aspectus lapidis saphyri similitudo throni, et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper. Per firmamentum cum plerique angelos: per thronum vero saphyrynum, aliqui, ut s. Antonius (4. par. titul. 15. cap. 44. §. 7), et Petrus Galatinus (lib. 7. de arcans. cap. 8), beatam Virginem super choros angelorum erectam accipiunt: et s. Bonaventura (in spec. b. Virg. cap. 11): *Ipsa, inquit, est thronus ille saphyrynus: qui sicut (in Ezech.) legitur, super firmamentum angelorum exaltatus est. Dicitur autem beata Virgo similis saphyro prop-*

ter intemeratae virginitalis gloriam, et omnimodam puritatem: tota erat enim coelestis. Saphyryus enim ex Plinio (lib. 37. cap. 9) caerulei, id est, coelestis coloris est, et aureis punctis collicet. Beatissima vero quidam coelestis, quam sol vestit, stellae coronant, sub cuius pedibus lana ipsa subicitur? In hoc vero saphyryno throno conspicitur quasi aspectus hominis, id est, Christus Dominus ex Virgine conceptus: in cuius utero novem mensium spatio, languam in sede pretiosissima resedit. Similiter (Daniel. 3) pueri in fornace quasi ex uno ore Deum collaudantes in hymno inter alia sic Domino concinebant: *Benedictus est in templo sancto gloriae tuae, et superlaudabilis, et supergloriosus in saecula; benedictus est in throno regni tui, et superlaudabilis, et superexaltatus in saecula*. Lyranus in hunc modum illud, *Benedictus est in templo sancto gloriae tuae, explicat de humanitate sanctissima Christi, in quo ex Apostolo (Coloss. 2): Inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Illud vero, *Benedictus est in throno regni tui*, hoc est, inquit Lyranus, in Virgine, quae speciali modo coniuncta est Deo ratione maternitatis; et dicitur proprie ipsius thronus, quia in gremio eius sedit, quando recepit munera a regibus (Matth. 2); sic ille.

Isaia etiam (cap. 16) habetur: *Praeparabitur in misericordia solum Agno dominatori terrae, et sedebit super illud in veritate*. Hoc solum divinae misericordiae est b. Virgo, ut ait d. Bonaventura (in spec. b. Virg. cap. 8), et Pelbartus de Themesvar (in stellar. Virg. lib. 12. part. 2. art. 2). Quomodo autem solum Dei misericordiae Virginem significet, explicat (Psa. 32): nam ubi in vulgata ex Septuaginta legitur: *De praeparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram*, s. Hieronymus ex Hebraeo vertit: *De fortissimo solio suo respexit*: ita enim Genebrardus, et Felix ac s. Pagninus de habitaculo sessionis suae. Hoc autem habitaculum, quod ex Hebraeo dicitur solum, explicans Hugo cardinalis, inter alias significationes interpretatur de beata Virgine, quam dicit Deum prae aliis parasse ad habitandum, de qua misericorditer respexit super omnes, qui habitant terram, id est, super omnes peccatores. Quibus omnibus sancti Patres immitentes unanimi consensu beatam Virginem thronum Dei compellant. Nam in primis s. Iacobus Apostolus (in liturg.), quam Synodus Universalis (canon. 32. allegat.), et habetur (de consecr. distinct. 1. cap. Iacob.), cum beata Virgine loquens ait: *Deus noster tuum utrum thronum fecit, et tuum ventrem latiore, et ampliore ipsis coelis reddidit*. S. Athanasius, id referente Surio die 25. Decemb. tom. 6. scrutans mysteria loci, in quo Deipara Christum peperit, inquit: *Parva illa domus Ecclesiae figuram continebat, praesepe vero altaris, Iesus Pontificis formam in se gerens. Thronus autem Dei per Virginem Mariam figurabatur*. D. Epiphanius (serm. de laudib. Deip.) conversus ad Virginem dicit: *Thronus es divinitatis, quae consistunt in caelo, et in terra Solem habes Christum*. D. Augustinus (l. de ass. in princ.): *Sola, inquit, meruit Deum, et hominem pari-*

tura suscipere, facta thronus Dei, et aula regis aeterni, secundum quam nos docuisti per sanctos tuos patriarchas, prophetas, et apostolos. Eodem etiam modo loquuntur s. Methodius (in Hupog. Dom.), sanctus Ephrem (de laud. Virg.), Hieronymus (ade. Eteid.), Chrysostomus (serm. de virg.), Iosephus (ser. 2. de assumpt.), Damascenus (orat. 1. de dorm. Virg.), Brunus (serm. de annunc.), Gregorius Nicomediensis (orat. de oblat. Deip.), Rupertus (lib. 5. in Cant.), Bernar. (ser. de B. Maria tom. 2), Bonaventura (in specul. B. V. cap. 8), Bernardinus Senensis (tom. 3. conc. serm. 11. art. 3. cap. 1).

Ut clarius tamen innotescat quam apte tam sacra eloquia, quibus sancti Patres Deiparam Virginem thronum Dei appellari, placeat in medium proferre, quae d. Dionysius Areopagita (cap. 7. de coel. hierarch.) de tertio ordine supremae hierarchiae, qui throni dicuntur, scripsit: *Thronorum, inquit, summorum, et excelsorum nomen declarat ut, quod ab omni terrena humilitate sine admixtione seruitutis est, quodque ad superiora divino studio fertur, nec in infimis ullis rebus habitat; sed totis viribus in eo, qui vere summus est, immobiliter, firmiterque haeret, divinum adventum sine ulla motione atque materia recipit, ac Deum portat, officiosoque ad ea, quae divina sunt, capienda, propensus est; haec Dionys.* Ex cuius doctrina colligit s. Thomas (1. p. q. 108. art. 3. ad 6), thronorum angelicorum ordinem per convenientiam, ut ipse ait, ad materiales sedes exponi: in quibus quatuor docet considerari posse. Primo situm, quia elevatur a terra; et throni ita elevantur, ut rationes rerum immediate in Deo cognoscant. Secundo, firmitatem: in sedibus enim quis firmiter sedet: sed hic e contra ait evenire, ipsi enim throni firmantur per Deum. Tertio, quod sedes suscipiat sedentem, et in ea deferrī possit: ita et throni Deum in se ipsi familiariter suscipiunt, et eum quodammodo ad inferiores ferunt. Quarto, figuram sedis, quae est superius aperta ad suscipiendum sedentem: ita et throni sunt per profunditatem aperti ad suscipiendum Deum, eique famulandum. Haec figuram quatuor, nimirum, situs, firmitas, susceptio sedentis, et figura, si in beata Virgine excellentissimae, et perfectissimae, quam in ipsis angelicis thronis reperiri probavero, manifestum erit potiori iure prae omnibus creaturis illam thronum Dei dici, et esse. Exordior ergo a situ: sane situs throni hic esse debet, ut ab humo se attollat: quam autem mulla dignitate, et meritis sanctitatis, et gloriae sublimitate beata Virgo sit elevata, haud difficile erit demonstrare. Primo id ostendo ex sublimitate suae praedestinationis: in hac enim inter puras creaturas principatum tenet: ut non obscure indicant verba illa (Sapient. capit. 7): *Est haec speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata, inventur prior*. Quae verba Deiparae eleganter accommodat Bonaventura (in spec. cap. 3). Cum enim locum huius Sapientiae (cap. 7) ad ostendam Deiparae puritatem peccati omnis immunem, attulisset, subiicit. Quidam legunt hic, prior; quidam, prior: utrumque Mariae stellae nostrae compe-

lit: Maria enim est prior, id est, potior sive dignior. Maria etiam purior est sole, et stellis, et luce, quia tam dignitate, quam puritate solem, et stellas, et omnem lucem superat corporalem, imo etiam et spirituales, id est, angelicam creaturam. Dicitur, *Dixit Deus lucem a tenebris*, id est, angelos stantes a cadentibus. Haec utique luce angelis prior, et purior est Maria, prior dignitate, et purior sanctitate. Facit etiam ad idem illud (*Proverb. 8*), ubi beata Virgo introducitur ab Ecclesia dicens, *ante omnes colles ego parturiebar*, id est, in priori rationis, ante angelorum sanctorum electionem, qui sunt veluti colles altissimi, tum propter naturam, tum etiam propter gloriae sublimitatem, Ego per praedestinationem parturiebar. *Nondum erant abyssi*, id est, nondum intelligebatur praevium originale peccatum, quod est velut abyssus obscura, et profundissima; et ego iam concepta eram. Et (*Ecc. c. 24*): *Ab initio, et ante saecula creata sum*: quod pariter Virgini propter suae praedestinationis praestantiam aptatur. Hinc est, quod (*Cantic. 6*) dicitur, *Electa ut sol*, tum quia in sui praedestinatione, atque electione, non fuit distincta a filio, qui *Sol iustitiae* dicitur (*Malach. 4*): tum etiam, quia in electione Soli iustitiae Christo fuit suo modo quam similima: ut enim ille (*Roman. 1*), *Praedestinatus est filius Dei*, et quatenus homo absque ulla peccati macula, omnique gratia plenus, *Electus ex millibus* (*Cantic. 5*); ita Virgo sanctissima praedestinata est mater Dei, et ab omni peccati labe immunis, una *Electa Genitrici suae* (*Cantic. 6*). Haec Virginitas praestantia in arca foederis, per quam Virgo figurabatur, ut ex Damasceno, et aliis (*cap. 38. et 5*) diximus, significata, describitur. Arca etenim foederis in tabernaculo a Moysse erecto (*Exod. 25*), inter ea, quae ad Dei cultum spectabant, omnium prima, ut notat Beda (*lib. 1. de Tabern. cap. 4*) fieri iubetur a Deo: quod idem animadvertit Rupert. *Principio*, inquit, *sanctuarii compingitur arca, et in templo Salomonis quemadmodum in Moysis tabernaculo, inter ea, quae ad templum pertinebant, mensam nimirum panum propositionis, candelabrum, altare thymiamatis, altare holocaustorum, et caetera, ipsa arca principem dignitatis locum obtinebat: quod ex loco eius nobilissimo facile colligitur, erat enim collocata in medio intra sancta sanctorum, habebatque propitiatorium, unde Deus responsa dabat: similiter et Virgo in corpore mystico s. Ecclesiae, cui caput est Christus, ut per collem altissimo significari solet, quod ut loco, sic et dignitate proximam est capiti, et reliquis omnibus oninet; quoniam Virgo sanctissima loco, et dignitate Christo maxime propinqua, reliquis omnibus praestat.*

In titulo quoque (*Psal. 47*) cuius initium est: *Magnus Dominus, et laudabilis nimis*, quem ad Virginem per civitatem Dei nostri significata pertinere diximus, non obscure Deiparae prae aliis dignitas eximia indicatur: sic autem habet *Psalm. Canticis filii core secunda sabbati*: quemadmodum enim titulus (*Psalm. 28*), ubi legitur, prima sabbati *Psalmus David*, ipsi Christo capiti tribuitur, et ut ani-

madvertit August. (*in Psal. 23. et in praefat. Psal. 47*), prima enim sabbati Deus lucem fecit, eam divisit a tenebris, quod spiritualiter factum esse docet idem August. cum prima sabbati, quae propterea Dominica dicitur, Christus a mortuis resurrexit: ita in secunda sabbati, quae feria secunda vocatur, in qua firmamentum est factum, virginem sanctissimam, quae proxime Christum sequitur, quaeque ex illis, quae diximus, coelum appellatur, merito intelligimus. Et licet Augustinus secundam sabbati Ecclesiam Christi in sanctis intelligat, quam non negamus: ratio Augustini est, quoniam, inquit, sancti scripti sunt in coelo, et tentationibus minime cedunt, sed firmi sunt, et propterea firmamenti nomine digni censentur; hoc tamen multo magis de sanctissima Virgine dicemus: tum quia *Psalmus totus in Deiparam mirum in modum quadrat*: tum quia firmatam ipsa prae omnibus est adepta, ita ut firmamentum iure optimo appellari possit: tum quia per Christum in divina praedestinatione dignitate omnibus praecellit, atque adeo eius nomen in coelo nobilissimo modo inscriptum invenitur: tum denique quia ipsa est Ecclesiae pars omnium nobilissima, et veluti collum Christo capiti vicinissima; atque ita quae de Ecclesia dicuntur, eidem praecipue accommodantur. Quocirca in secunda sabbati, quae primam sabbati, in qua Christus intelligitur, immediate consequitur, apertissime sanctissima Virgo Christo coniunctissima exprimitur. His etiam addere possumus et illud, de dempmissis nimirum dies, a planetis, qui prima eius diei hora dominum habent, desumpsisse nomen, iuxta astronomos, teste Clavio (*in primum caput sphaerae*), ubi de ordine sphaerarum coelestium agit, singuli enim planetas singulis horis suo ordine, qui semper recurrit, praeesse dicuntur, quod quam verum sit, negat Clavus esse illius loci disputare. Ioannes tamen Xiphilinus (*in comp.*), Dion (*lib. 36. in Pompeio*), ab Aegyptiis hoc institutum manasse affirmat, quare et septem hebdomadae dies, hoc ordine servato, ab hisdem planetis nomen invenire, quibus positis, si hoc etiam spectemus, iure optimo prima sabbati, quae est dies solis, et secunda sabbati, quae est dies lunae, tribuuntur Christo, qui (*Malach. 6*): *Sol iustitiae* vocatur; et Deiparae, quae (*Cant. 6*), et alibi saepe lunae comparatur: quare recte habetur (*Habacuc. cap. 3*): *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo*, hoc est, ubi Christi dignitas mundo per Apostolorum praedicationem innouit, illico et eius Genitricis praestantia omnibus fuit cognita, atque perspecta. Hinc divus Ioannes Damascenus (*orat. 1. de nativitate Virg.*) montem illam appellat angelicus spiritibus sublimiorem: sic enim ait: *Angelate montes, hoc est, ratione praeditae naturae, quaeque ad spirituales contemplationis fastigium assurgitis: siquidem clarissimus Dei mons pariter, mons, inquam, ille, qui collem omnem, ac montem, id est, angelorum et hominum sublimitatem exsuperat: ex quo citra ullam manus operam, corporeo modo excindi voluit lapis angularis Christus, una persona distinctas naturas copulans, divinitatem nimirum et humanitatem;*

angelos, et homines, gentiles, et carnalem Israel in unum spirituum Israel: haec ille.

Sed veniamus iam ad firmitatem huius celsissimi throni: hoc enim erat secundum quod in sedibus materialibus s. Thomas ex divo Dionysio reperiri dicebat. Fuit sane beatissima Virgo in bono semper firmata, et confirmata, ut non obscure indicant verba Davidis (*Psalm. 32*): nam ubi ex versione Septuaginta legitur de praeparato habitaculo suo respexit super omnes, per quod habitaculum Virginem designari testis est, ubi Hugo card. s. Hieronymus, et alii vertunt, de firmissimo solio prospexit. Unde d. Bonaventura (*in spec. b. Virg. cap. 7*): *Domus, inquit, illa, in cuius solio Dominus sedet, est Virgo, in cuius montis solio Dominus requievit. O vere stabilissimum solium, sicut dicitur lib. Reg. firmissimum solium tuum in aeternum*; haec d. Bonaventura: et s. Bernardinus (*tom. 5. ser. 11. art. 1. c. 2*): *Virginis, inquit, altitudo firmissima est, et inconcussa ut moveri non possit stabilitas montis, quamdiu durat firmas lapidis: nec regnum matris, quamdiu durat imperium prolis, de cuius imperio* (*Daniel. cap. 7*) *scriptum est, potestas eius aeterna, et regnum eius, quod non corrumpetur, hoc enim significatur Isai. (cap. 6): Vidi Dominum sedentem super solium, quia immobiliter requievit super Virgine gloriosa. Quibus accedit, quod in haec verba docuit s. Thomas (3. part. quaest. 27. art. 6. ad 1), cum dicit: *Beata Virginem a Deo in matrem electam ampliore sanctificationis gratiam obtinuisse, quam Ioannem Baptistam, et Ieremiam sanctificatos in utero: cuius signum est, quod beatae Virgini praestitum est, ut de caetero non peccaret nec mortaliter, nec venialiter: aliis autem sanctificatis creditur praestitum esse, ut de caetero mortaliter non peccarent, divina eos protegente gratia; ita s. Thomas. Item (in 3. distinct. 3. q. 1. art. 2. quaest. 3. in corp.)*: *In prima, inquit, sanctificatione Virgini gratia collata fuit ad bonum efficaciter liberum arbitrium inclinans, quanvis non esset sufficiens ad tollendam flexibilitatem liberi arbitrii in malum, quam etiam homo in primo statu habuit: in secunda vero sanctificatione gratia superaddita fuit, quae ita potentiam liberi arbitrii implet, ut in contrarium flecti non quidem tollendo naturam lib. arbitrio, sed defectum: sicut materia coeli ex eo, quod subsistit formae, quae omnem privationem ab eo excludit, non est in potentia ad corruptionem. Adeo autem b. Virgo fuit in bono semper confirmata, ut nec per peccatum aliquod actuale, nec originale a Creatore suo fuerit unquam separata: de primo nullus est locus ambigendi, cum id definitur duo sacra Concilia Claromontanum, et Tridentinum (sess. 6. can. 21). De secundo vero non obscure id mihi indicari videtur primo ex illo patriarchae Iacob (*Genes. 28*): ille enim evigilans et somno, in quo scalam illam a terra in coelum usque protensam conspexerat, beatam Virginem spiritu prophético praevideos, haec verba pronuciavit: *Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta coeli. Si autem Virgo beatissima originali labe fuisset vel ad brevissimum temporis spatium inquinata, vere tunc fuisset domus daemonis, ac proinde ali-***

quando fuisset aliud, quam domus Dei, cuius contrarium perspicue satis dixit Iacob: *Non est hic aliud, nisi domus Dei. Secundo id confirmat, quod ubi* (*Psalm. 44*), ubi Septuaginta Interpretes legunt, *Astitit regina in vestitu deaurato circumdata varietate*, s. Hieron. veritatem *facis aureis vestita est, in scutulatis ducebat ad regem*: quia adhuc tenera in utero matris, velut fasciis aureis charitate circumdata erat, et gratiae sculis praemuniata, ne a iaculis culpae originalis, quae futura erat origo Christi, quoquo modo laederetur. Tertio, id ipsum non obscure indicat locus ille (*Cant. 2*): *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*: id enim plane Sponsus dixit ad significandum, solam Virginem Deiparentem inter omnes puras creaturas spina originalis peccati nunquam fuisse punctam. Elenim sicut rosa ante peccatum, ut divus Ambros. adnotavit (*lib. 3. exameron. cap. 11*), spinis carebat, postea tamen ex spinis nascenti asperitatem nullam contraxit: *Surrexerat, inquit, antea floribus immita teneris sine spinis rosa, et pulcherrimus flos sine ulla fraude vernabat, postea spina floris gratiam cepit; ita Deipara post originale peccatum ex humani generis spinis peccati originalis nullam contraxit.*

Nec reticendum illud, quod ii qui plantarum naturam investigarunt, de vi, atque efficacitate lili, qua adversus serpentes eorumque venena pollet, litteris prodiderunt: cum ad illustrandum hunc lypum, quod Deiparae conceptio immaculata per liliam adumbrari diximus, maxime faciat. Plinius (*lib. 21. vap. 19*): *Radices, inquit, lili multum modis florem suum nobilitaverunt contra serpentium ictus ex vino et contra fungorum venena; haec ille. Dioscorides vero* (*lib. 3. c. 90*), ubi agit de lilio: *Folia, inquit, herbae illata, serpentium morsibus subveniunt, eadem cocta, in aqua ignis adustionibus et cum aceto condita vulneribus. Quod ipsum de lilio confirmat Petrus Andreas Matthiolus (*lib. de plantis c. de lilio pag. 270*), additque semen lili potum adversari iisdem serpentium morsibus: et Gualtherus Rovillus (*in hist. gen. plan. lib. 15. pag. 1496*) haec eadem refert, quae Plinius, et Dioscorides. Idem quoque Dioscorides (*lib. cap. 1*) de alia lili specie, quae Latine iris, Italice vero liliium coeleste appellatur, radicem eius cum aceto potam venenatorum animalium morsibus mederi docet. Et Petrus Matthiol. (*in comment.*) addit, eandem radicem in pulverem confusam cum aceto potam, universaliter adversus omnia venena conferre. Quod si liliium, et praesertim eius radix tantam contra venenata animalia vim habet, qui fieri poterit, ut serpentes saevum dentem lilio infigant, eique virus suum infundant? Pari itaque ratione cum Virgo Deipara (*Cant. 6*) lilio inter spinas comparetur, quemadmodum Ephrem (*ser. de laudibus Virginis*) tradidit, quippe quae filium gignendo, universis venenis antidotum protulit praesentissimum, quis originali veneno, a serpente primum infuso, et per Adam in posteros transfuso, eam aliquando infectam dicere audebit? Adde, quia si Virgo est liliium, radix huius lili, qui nominatim antidotum contra*

serpentem inesse traditur, eiusdem respondet conceptioni, quae totius vitae veluti radix est, et principium. Ex quo facile colligimus, ipsam, quae delecta erat ad gignendum eum qui daemone venena curaturus advenerat, omnis veneni singulari Dei privilegio in conceptione expertem fuisse. Nec illud significatione vacat, raderem hanc lili ex vino, ut dicebat Plinius, venenatis morsibus auxiliari: vinum enim in sacris litteris plerumque Christi sanguinem significat, in torculari crucis ex corpore Christi, qui est vitis vera, expressum: in quo omnis sanctorum intercessio nititur. Nam ex sacro Concilio Tridentino (sess. 25. cap. de sanctorum invocatione), ad sanctorum orationes opemque confugimus, ob beneficia impetranda a Deo per filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, et Salvator est; quem, inquit Apostolus (ad Rom. 5). *Proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*. Quarto, (1. Machab. 4) legimus Iudam Machabaeum cum aliis, altari holocaustorum, quae contaminata fuerat a gentibus, nec forte esset illis in opprobrium uti noluisse, sed accepturam lapides integros, et aedificaverunt altare novum secundum illud, quod fuit prius; quanto ergo magis credendum est, Deo Filium noluisse in matrem accipere eam, quae per peccatum fuisset contaminata, ne in eius opprobrium cederet: nam, ut ait S. Thomas (3. par. qu. 27. art. 4), sicut gloria filiorum, patres eorum (Prover. 17), ita per opprobrium ignominia matris ad filium redundaret.

Tertia thronorum angelicorum ad materiales sedes, ut loquitur S. Thomas, convenientia in eo posita est, teste Dionysio (cap. 7. coeles. hierar.), et S. Thomas (1. par. q. 108. art. 5. ad 6. et art. 6), quia sedes suscipi sedentem, qui in ea defertur potest, nihilque sedenti vicinior est sua sede. Est autem adeo proprium throni suscipere sedentem in se, ut sanctus Thomas (1. part. quaest. 109. artic. 1. ad 3), investigans rationem, quare, cum daemones de singulari ordinibus angelorum, etiam thronorum, ceciderint, nunquam tamen illis post eam thronorum nomen, sicuti seraphim, vel dominationum tribuatur, sed aliorum aliquorum tantum ordinum. Nam lucifer (Ezech. cap. 28) dicitur cherubin, quod a scientia deducitur, et (ad Ephes. ult.) daemones dicuntur principes, et potestates, quae nomina a principatu et potentia derivantur. Sanctus Thomas, inquam, ad hoc respondet: *Quantum in nominibus seraphim, thronorum, et dominationum importatur ea, quae opponuntur peccato: nomen enim seraphim ab ardore charitatis, thronorum vero ab inhabitatione importatur, nomen autem dominationum quandam libertatem importat; ideo angelis peccantibus huiusmodi nomina non tribuuntur. Quam autem egregie in beatam Virginem conveniat inter regium thronum Deum familiariter excipere, illud satis aperte indicat, quod praeterquam quod ab instanti suae immaculatae conceptionis Deum per gratiam in anima sua exceperit, postea viro suo per novem menses eandem carne indutum continuit, iuxta illud (Ecc. 24) qui creavit me, requievit in tabernaculo meo: ad quam duplicem Dei inhabitationem*

*spiritualem, et corporalem respiciens divus Augustinus serm. 4 de natiuitate, eleganter docet, Deum magis esse cum Virgine sanctissima, quam cum angelis. Dixit, inquit, angelus Mariae, Dominus tecum, pliusquam mecum, ita est Dominus tecum, ut sit in corde tuo, sit in utero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam: procedat formosus de utero tuo, tanquam sponsus de thalamo suo, procedat princeps ex aula regali, ita ut virginitatem tuam non faciat violari. Non solum autem Virgo Deum exceperit, sed et portavit excellentius, quam omnes iusti, quibus Apostolus dixit (1. Corinth. 6): *Glorificate, et portate Deum in corpore vestro*, sed et illo speciali, cuius meminit inelyta hodierni Evangelii mulier cum dixit: *Beatus venter, qui te portavit*: ad quod alludens D. Gregorius Taunanturgus (orat. de Annunc. Deip.) dixit: *Sola ferens eum, qui verbo portat omnia; et Methodius (in orat. in hypop.): Tu cuncta continentis et comprehendentis comprehensio, tu illius gestatrix, qui verbo suo portat universa. Propterea (cap. 5) figuratur per ferulum illud Salomonis magnificentissimum, in quo cum magna maiestate Salomon deferebatur, de quo (Cant. 3): *Ferulum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media claritate constravit propter filias Ierusalem*. Ad hoc ferulum respiciens Gregorius Nicomedienensis (orat. de praesent. Virg.), vocat illam thronum gloriosum, et regium vehiculum, quo vectum Verbum cum carne advenit. Cui simile est illud Andreae Cretenensis (orat. 2. de dorm.), ubi alludens ad illud (Psal. 67): *Curru Dei decem millibus multiplicat*, ad Virginem ait: *Tu es ille decies mille millibus multiplicatus Dei currus, quae millia millium locupletum adduxisti ad eum in carne lectum*. Ac tandem d. Bernardus (serm. 7. in Psal. qui habitat) sic de Virg. loquitur: *Magnus ille Ignatus, discipuli, quem diligebat Iesus, auditor, in pluribus quas ad eum conscripsit, epistolis, Christiferam consalutat; egregius plane titulus dignitatis, et commendatio honoris immensi, nempe cui servire regnare est, gestare hunc non onerare est, sed ornari; ita d. Bern.***

Ad extremum quarta throni cum sede materiali convenientia est, aptum, et capace esse ad excipiendum sedentem. Hoc plane in Deipara Virgine fulgentissimum Dei throno perfecte reperiri, nemo catholicus inficiabitur, cum eius anima, et corpus, ut dignum filii Dei habitaculum efficeret. Spiritu sancto cooperante, ut canit Ecclesia catholica, fuerit divinis charismatibus mirabiliter praeparatum. Unde divus Damascenus (orat. 1. de dormit.) inquit: *Is qui coelum et terram implet, cuius coelum thronus, et terra scabellum pedum est, et ancillae suae ventrem latissimum domitium fecit. Chryssippus presbyter Hierosolymitanus (hom. de b. Virg.): Arca, inquit, pretiosissima est Virgo Deipara, quae exceperit totius sanctificationis thesaurum: Arca, non ea, in qua erant omnia animalium genera, quemadmodum in arca Noe, quae fluctuantis universi mundi effugebant naufragium: et infra:*

HOMILIA XVI.

Variae rationes apponuntur, ob quas omnino deest Christum Dominum non alio lacte in eius infantia nutrire, quam eo, quod ubera beatae Virginis matris suae ei propinabant, in illa verba: Beata ubera, quae susxisti.

Si rem altius contemplerur, eadem prorsus rationes, quae ostendunt, propterea beata, ac felicissima fuisse Deiparae ubera, quia Christum Dominum lactaverunt, etiam comprobant, deesse Christum Dominum non aliud lac, quam ex b. Mariae uberibus susxisse. Inter has rationes illa primum locum tenet, quod oportebat antiqua huius mysteria, valentia, et figurata compleri; nam Sibylla Tiburtina cecinit,

*O nimium felix coelo dignissima mater,
Quae tantam sacro lactasti ab ubere prolem.*

Cui consonat illud Salomonis propheticum eloquium: *Quis mihi det te fratrem sugentem ubera matris? (Cantic. 8)* quod perinde fuit, ac si diceret: quis mihi concedat, ut videam te foris, hoc est, carne indutum, non intus solum in sinu Patris, sed in gremio matris sugentem ubera matris tuae, et meae? Virgo enim omnium mater est. Idipsum in Moysae praefiguratum cerno: nam, ut legitur (Exod. 2), cum noluisset a muliere Aegyptiaca lactari, quae sila fuit mulier Hebraea, mater scilicet eius propria, quae illum lactavit. Illud etiam (Iudic. 5) ad beatam Mariam convertio: *In phiala principum propinacit butyrum*: phiala enim est manna Deiparae, propinans lactis pinguedinem principi nostro Christo, non ad soporem, et necem, ut label Sisarae propinavit, sed ad nutriendam, et conservandam vitam. Quod si (Exod. 3) promisit Deus terram lacte et melle manantem; sane ubera b. Virginis Christo Domino fuerunt terra, lacte, et melle manans. Unde b. Petrus Damianus (hom. 2. de nat. b. Virg.): *Terra repositionis est dicta, quae longe ante parturam Salvatorem mundi a Prophetis multifariam est promissa, quae vere lac et mel manavit, dum Deum, et hominem intemerata virginitate profudit*. Ac tandem quia Isaias praedixerat (cap. 15): *Delectabitur infans ab ubere*: quae verba, inquam communi Patrum sententiam, intelliguntur de Christo infante, de quo praedixit, infantem eius gustum magnam delectationem habiturum sugendo ubera matris suae. Existimo namque nullius matris lac tanta suavitate, ac dulcedine plenum fuisse, ut Deiparae Virginis lac: nam illud fuerat a Spiritu sancto deputatum. Unde noster Bernardinus Buxen. (ser. 5. de par. b. Maria p. 2. in fine) dixit: *b. Virginis lac habuit saporositatem, quam traxit a Spiritu sancti deputatione, nunquam enim aliqua mulier habuit lac tam saporosum, sicut ipsa: et huius ratio est, quia lac aliarum materium habet multum impuritatibus, et ideo non potest esse magni saporis; lac autem*

Sed arca, cuius architectus, et incola, gubernator, meritor, comes viae, et dux erat opifex omnium creaturarum, quas in se universas portat, sed a cunctis ipse non comprehenditur; haec Chryssippus.

Ac tandem d. Bonaventura (in spec. b. Virg. cap. 5) agens circa illud, *Gratia plena*, inquit: *Consideremus gratiae Mariae veritatem, immensitatem, multipliciter, et utilitatem, et horum singula d. Bonav. late prosequitur: sed quod facit ad nostrum propositum de immensitate gratiae Virginis: Immensa, inquit, fuit gratia, quae ipsa fuit plena: immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quo est plenum; Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illam, qui in coelo maior est, continere potuit. Quis est coelo maior? certe ille, de quo Salomon ait: Si coelum, et coeli coelum te capere non possunt, quanto magis domus haec, quam aedificavi: non utique domus per Salomonem aedificata, sed domus per illam signifiata. Deum capere potuit. Tu ergo immensissima Maria capax es coelo, quia quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Tu capax es mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Si ergo Maria tam capacissima fuit ventre, quanto magis mente? et si capacitas tam immensa fuit gratia plena, oportuit utique, quod gratia illa, quae tantam implevisse potuit capaciatem, esset immensa. Quis immensitatem Mariae potest mensurare? Ecce, quod dicitur in Ecclesiastico capite primo: *Altitudinem coeli, latitudinem terrae, et profundum abyssi quis dimensus est? Coelum est Maria, tum quia coelesti puritate, coelesti claritate, coelestibus aliis virtutibus abundavit, tum quia sedes Dei altissimi fuit, teste propheta, qui dicit, Dominus in coelo paravit sedem suam. Terra quoque Maria fuit, quae fructum illum nobis protulit, de quo idem propheta ait: Terra dedit fructum suum. Abyssus etiam est Maria in bonitate, et in misericordia profundissima, unde etiam profundissimum misericordiam filii sui pro nobis interpellat, quasi abyssus abyssum invocet. Coelum ergo est Maria. Terra est Maria, abyssus est Maria, quis huius coeli altitudinem, quis huius abyssi profunditatem, quis inquam, Mariae immensitatem dimensus est, nisi ille solus qui ipsam non solum in gratia, et in gloria, sed etiam in misericordia, tam altissimum, tam latissimum, tam profundum operatus est? hucusque sanctus Bonaventura. Ex quibus omnibus satis nique constat excellentiam, quam in ipsis etiam angelicis thronis illa quatuor supra adducta Dei parenti convenire; qui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.**